

Band II., Nr. 369, Seite 125-127

Papst Hadrian IV. nimmt das Kloster des heiligen Johannes des Täufers (in Blaubeuren) in seinen Schutz, bestätigt dessen Besitzungen und Rechte, worunter einige besonders genannte, und gewährt demselben verschiedene weitere Begünstigungen.

Lateran, 1159. April 6.

Adrianus episcopus, servus servorum dei. Dilectis filiis, Wernherio, abbati monasterii sancti Iohannis baptiste, eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum adesse convenit presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, predecessoris nostri, felicis memorie Urbani pape, vestigiis inherentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presenciarum iuste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: decimas ecclesie, que Sussen, et aliam, que Laichingen dicitur, vobis canonice concessas, et omnia, que Henricus et Hugo comites, et que Adelheidis comitissa vobis rationabiliter contulerunt. Advocatiam autem prefate ecclesie Hugo comes, dum vixerit, administret. Qui si forte monasterio inutilis fuerit, amoto eo alium quem utilem provideritis substituatis. Preterea nundinas, monastice religioni contrarias, atque omnes cohabitationes negociatorum et omne forense negotium ad dampnum prefati monasterii et ad turbandam quietem fratrum in eodem monasterio fieri sub interminatione anathematis prohibemus. Quod si ipsi negociatores inobedientes extiterint, nullus clericorum in loco ubi ipse nundine fiunt, quamdiu ibi permanserint, missam celebrare presumant. In parochialibus autem ecclesiis quas tenetis liceat vobis sacerdotes eligere et electos episcopo representare, quibus, si inventi fuerint idonei, episcopus animarum curam committat. Et de plebis quidem cura idem sacerdotes episcopo, de temporalibus vero vobis debeant respondere. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a dyocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et

II

gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, et ea gratis ac sine pravitate vobis voluerit exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum, nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen iustitia parochialium ecclesiarum de quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus igitur ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolice auctoritate et dyocesani episcopi canonica iustitia. Ad inditium autem huius a sede apostolica percepte protectionis bisancium unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvitis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove conmonita nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et aput districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Adrianus, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. Bene valet.^a

Ego Hubaldus, presbyter cardinalis tituli sancte crucis in Iherusalem, subscripsi.

Datum Latterani per manum Rolandi, sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii, VIII. idus Aprilis, indictione VII., incarnationis dominice anno MCLVIII., pontificatus vero domni Adriani pape quarti anno quinto.^b

—

Nach dem im Jahr 1512 auf Anordnung des Abts Gregorius Rösch von dem Konventsbruder Zacharias auf Papier in groß Folio geschriebenen Kopialbuch des Klosters Blaubeuren, fol. 36^b (vgl. WUB, Bd. I, S. 314).

^aIm Kopialbuch stehen diese Unterschriften unrichtig nach den folgenden. Das Rundzeichen ist nicht angegeben und *Bene valet* so wie oben beige setzt. In der zweiten Unterschrift steht statt *sancte crucis: S. +*.

^bIm Kopialbuch steht 4^{ti} und 5^{to}.

Überlieferung und Publikationen

Überlieferung und Textkritik:

War im Kopialbuch HStA Stuttgart H 14 Nr. 25, fol. 36b, durch Fliegerangriff 1944 verbrannt

Editionen:

CHRISTOPH BESOLD: *Documenta rediviva monasteriorum praecipuorum in ducata Wirtenbergico sitorum [...]*, 2 Bde., Tübingen 1636, Blaub., Nr. 2, S. 913. Petrus: *Suevia ecclesiastica*, S. 180.

Regesten:

PHILIPP JAFFÉ (HRSG.): *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII*, 2. verb. und verm. Aufl. bearb. von Samuel Löwenfeld, Ferdinand Kaltenbrunner und Paul Ewald, 2 Bde., Leipzig 1885-88 10560. *Germania pontificia*, Bd. 2,1, S. 212, Nr. 2.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lateran

Ortsindex:

Blaubeuren Wohnplatz (16722)

Blaubeuren, UL

Jerusalem, Israel

Laichingen Wohnplatz (16839)

Laichingen, UL

Rom, Latium, Italien

Seißen Wohnplatz (16729)

Seißen, Blaubeuren, UL